Castrensibus Capitanealibus Premysliensibus personaliter comparens Generosus Stephanus Kulczycki, suprascripti Generosi Ioannis Kulczycki Inscribentis Parens, sanus mente et corpore existens, a Terris, Districtibus, Iuribus, Iurisdictionibusque suis quibusuis propriis et competentibus recedendo, praesenti vero Castrensi Capitaneali Premysliensi Iurisdictioni quoad Actum hunc attinet, se cum Successoribus, ac Bonis suis generaliter omnibus totaliter et plenarie incorporando atque subiiciendo, palam, libere, publice, ac per expressum recognouit. Qui ipse super suprascriptam Inscriptionem Reformatoriam, per praefatum Generosum Filium suum Consorti suae inscriptam approbat, et super eandem consentit. Ita ac sua praesenti personali Recognitione ad praemissa omnia mediante.

Kulczyckie Coniuges mutuam Aduitalitatem sibi inscribunt

764 Comparentes personaliter coram Officio, et Actis praesentibus Castrensibus Capitanealibus Premysliensibus Generosi Ioannes Kulczycki ab vna, et Anna Chotecka, Generosi [illegible] Chotecki cum Generosa Marianna Vstrzycka Consorte ipsius legitima, procreata Filia, Coniuges legitimi, partibus ab altera, sani mentibus et corporibus existentes, a Terris, Districtibus, Iuribus, Iurisdictionibusque suis quibusuis propriis et competentibus recedendo, praesenti vero Castrensi Capitaneali Premysliensi Iurisdictioni quoad Actum hunc attinet, se cum Successoribus ac Bonis suis generaliter omnibus, totaliter et plenarie incorporando atque subiiciendo, palam libere, publice, ac per expressum recognouerunt, et quilibet illorum seorsiui suo pro interesse recognouit. Qui ipsi et praecipue

Generosa Anna Chotecka Consors, cum pfati Generosi Joannis Kulczycki Mariti sui et Tutoris Coniugalis personali assistentia, et vltroneo ad infrascripta recognoscenda consensu sibi mutuo et invicem vna Pars alteri omnium generaliter Bonorum suorum mobilium et immobilium, haereditariorum, et obligatoriorum, summarumque pecuniariarum quarumuis, nec non auri, argenti, clenodiorum, Vniorum, Margaretarum, vestium, vestimentorum, tum stanni, aeris, cupri, orichalci, pecorum pecudum, equorum equiue, ac totius supellectilis domesticae in quacunque forma et materia existen nunc habitt et in post habend mutuam aduitalitatem et vsumfructum ad extrema duntaxat vitae Vtriusque eorum tempora tantummodo et non vltra inscripserunt, concesserunt, et assignauerunt prout inscribunt, concedunt et assignant praesentibus tali videlicet modo et conditione: Quod si prius praefatum Generosum Joannem Kulczycki Maritum, quam ipsam Generosam Annam Chotecka Consortem ipsius mori, et de hac luce decedere contigerit, extunc eadem Generosa Anna Chotecka Consors sua Bona suprascripta omnia et summas pecuniarias morte praedicti Mariti sui derelict, cum omni eorundem Jure, Dominio et proprietate, competentiaque et praerogatiua quauis, omnibusque et singulis eorundem vtilitatibus et vsufructibus tenebit, habebit, et possidebit, illisque quiete et pacifice vtifruetur, ad extrema duntaxat vitae suae tempora: Post fata vero praefatae Generosae Annae Chotecka Consortis, extunc praedicta Bona et res generaliter omnes Inscriptioni praesenti subiectae morte praedicti Mariti sui derelictae, ad Successores praenominati mariti sui sine quouis impedimento et contradictione Successorum praedictae Consortis suae totaliter et plenarie deuoluentur. Similiter quoque, si prius praefatam Generosam Annam Chotecka

Consortem suam, quam ipsum Generosum Joannem Kulczycki Maritum suum mori contigerit, extunc idem Maritus Bona supra scripta generaliter omnia morte praedictae Consortis suae derelinquenda cum omni Iure Dominio et proprietate tenebit habebit et possidebit, illisque quiete et pacifice ad extrema duntaxat vitae suae tempora utifruetur. Post mortem vero et de hac luce decessum eiusdem Mariti sui, extunc Bona suprascripta morte eiusdem Consortis derelinquenda, ad Successores suos sine quovis impedimento et contradictione, Successorum Mariti sui totaliter et plenarie devolventur. Ipsis suis praesentibus personalibus Recognitoribus ad praemissa mediantibus.

Kulczycka abrenuntiat

Comparens personaliter coram Officio et Actis praesentibus
161 Castrensibus Capitanealibus Premisliensibus Generosa Anna Chotecka, Generosi Michaelis Chotecki, cum Generosa Marianna Ustrzycka Consorte ipsius Legitima procreata Filia, Generosi vero Joannis Kulczycki Consors Legitima, una cum eiusdem Mariti sui et Tutoris Coniugalis, atque Generosae Mariannae Ustrzycka Matris suae personali assistentia, et ultroneo ad infrascripta recognoscenda consensu, sana mente et corpore existens, a Terris, Districtibus, Iuribus, Iurisdictionibusque suis quibusvis propriis et competentibus recedendo, praesenti vero Castrensi Capitaneali Premisliensi Iurisdictioni quoad Actum hunc attinet, se, cum Successoribus ac Bonis suis generaliter omnibus totaliter et plenarie incorporando atque subiciendo, palam, libere, publice, ac per expressum recognovit.